



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

Epistola De Primitiva Ecclesia, Et Mvnificentia Constantini Magni  
imperatoris erga eandem, Melchiadi falso adscripta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

nimirum idololatriam honestissimo nomine angelorum velatam & occultatam committerent. Vide Baron. anno Christi nati 60. num. 20. & sequentibus.

Canon 48. Sacramentum Confirmationis, an ex necessitate præcepti sit suscipiendum.

<sup>b</sup> *Sine Canonicis literis.* ] Literæ quæ hic Canonice dicuntur, alibi formatae ac communicatoriae, aliisve nominibus appellantur. Vide quæ diximus in notis ad vitam Sixti.

<sup>c</sup> *Oportet eos qui illuminantur.* ] Ex præcepto Christi, vel saltem Ecclesiæ, baptizatos sub peccato ad sacramentum confirmationis suscipiendum, dum commode possunt, obligari, colligunt nonnulli ex hoc Canone, sicut & ex epistola 1. Melchiadis, ubi dicit: *Quamvis continuo morituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria esse confirmationis auxilia*, &c. Hæc cum theologorum scholasticorum & summistarum alii affirmant, alii negant; ego sententiæ neganti potius subscribendum esse putarem.

Canon 49. Quadragesimali tempore: ab eulogiis abstinendum est.

<sup>d</sup> *In quadragesima.* ] Causa prohibitionis sequenti Canone subiungitur: quia scilicet quadragesimalibus diebus integris ieiunandum erat. Ne igitur sumptione eulogiarum siue panis benedicti, qui alias fermentum dicebatur, ieiunium violaretur; constituitur hoc Canone, ut neque populus panem in hunc finem offerat, neque Episcopus eundem in symbolum communionis Catholice a se consecratum, quadragesimali tempore distribui patiatur.

Cur in quadragesima sanctorum martyrum festa, item nuptias celebrare non liceat.

<sup>e</sup> *Quod non oportet in quadragesima martyrum natalitia, &c. aut nuptias celebrari.* ] Opinor, ne agapico & nuptiali conuiuio, quorum illud in natalitiis martyrum, hoc in solennizatione nuptiarum exhiberi solebat, ut supra in notis ad Canonem 27. & 28. diximus, ieiunium violaretur.

## EPISTOLA

## DE PRIMITIVA ECCLESIA,

ET MVNIFICENTIA CONSTANTINI MAGNI  
imperatoris erga eandem, <sup>b</sup> Melchiadi falso adscripta.

Actuum 2.  
Actuum 4.

12. q. 1. Futuram Ecclesiam Apostoli.

Matth. 16.

**N**EMO, qui diuinas scripturas legit, ignorat, quod in principio nascentis Ecclesiæ discipuli in vnum congregati sunt cum multitudine credentium, in quibus erat cor vnum & anima vna, quique vendentes prædia & possessiones suas, afferebant precia, & diuidebatur singulis, prout cuique opus erat. Futuram namque Ecclesiam in gentibus Apostoli præuidebant, maximeque quia Dominus illis prædixerat: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate euangelium.* Vel quia expellendos se nouerant a Iudæa, & in gentibus dispergendos, Ecclesiamque congregan-

ANNO  
CHRISTE  
314.

gregendam ex rudi populo; idcirco prædia in Iudæa minime sunt adepti, sed præcia tantummodo ad fouendos egentes. At vero cum inter turbines & aduersa mundi succresceret Ecclesia, eousque peruenit, vt non solum gentes, sed etiam Romani principes, qui pene totius orbis monarchiam tenebant, ad fidem Christi & baptismi sacramenta concurrerent. E quibus vir religiosissimus Constantinus, primus fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per vniuersum orbem sub suo degentes imperio, non solum fieri Christianos, sed etiam fabricare ecclesias, & prædia tribuere posse constituit. Denique idem præfatus princeps donaria immensâ contulit, & fabricam templi primæ sedis beati Petri principis Apostolorum instituit: adeo vt sedem imperialem, quam Romani principes possederant, relinqueret, & beato Petro, suisque \* præsulibus profuturam concederet. Idem vero præsidens in sancta Synodo, quæ apud Nicæam congregata erat, cum querelam quorundam conspiceret coram se delatam, ait: Vos a nemine diiudicari potestis, quia solius Dei iudicio reseruamini. Dii etenim vocati estis, idcirco non potestis ab hominibus iudicari. Ab illo etenim tempore, & deinceps, viri religiosissimi non solum possessiones & prædia quæ possederant, sed etiam semetipsos Domino consecrarunt, ædificantes basilicas in suis fundis in honorem sanctorum martyrum per ciuitates, ac monasteria innumera, in quibus coetus Domino seruentium conueniret. Denique reges & præsi-

\* successoribus

In decret. Iuo. lib. 2.

1. Tim. 2.

tribuerentur: vt hæc accipientes, possent (secundum monita Apostoli) orationes, postulationes, obsecrationes, gratiarumque actiones facere pro omnibus hominibus, pro regibus, & qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam habeant. Et hoc bonum & acceptum esse coram Deo, idem magister gentium protestatur, cui sollicitudo omnium ecclesiarum incumbit,

Concil. Tom. 2.

2. Cor. 11. quique Episcopus regere per Spiritum sanctum consti-  
 1. Petr. 5. tuit Ecclesiam Dei. Quibus ait: *Pascite qui in vobis est,*  
 2. Tim. 2. *gregem Dei, providentes non coacte, sed sponte secundum Deum:*  
*neque turpis lucri gratia, sed voluntarie.* Quibus & dicebat:  
*Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.* Quæ au-  
 tem sint negotia sæcularia, sancti Canones manifestant  
 & inhihent, dum perspicue docent, quod quidam qui  
 in clero videntur electi, propter lucra turpia conducto-  
 res alienarum possessionum fiant, & sæcularia negotia sub  
 cura sua accipiant, \* Domini quidem ministerium parui-  
 dependentes, per sæcularium vero domos discurrentes, &  
 propter avaritiam, patrimoniorum sollicitudinem fu-  
 mentes. Decreuit namque supradicta sancta Synodus,  
 nullum deinceps clericum aut possessiones conducere,  
 aut negotiis sæcularibus se miscere, nisi propter curam  
 pupillorum & orphanorum ac viduarum, aut si forte E-  
 piscopus civitatis ecclesiasticarum rerum sollicitudinem  
 habere præcipiat. Vbi liquido patet, quia alia sunt nego-  
 tia sæcularia, alia ecclesiastica. Nonne Moyses in sæcu-  
 lo erat, cum crebro tabernaculum intraret & exiret? qui  
 intus contemplatione raptus, foris infirmantium nego-  
 tiis vrgebatur: intus Dei arcana considerans, foris onera  
 carnalium portabat. Cuius typum sacerdotes in Ecclesia  
 agere debent, vt dum foras exeunt ad exercenda nego-  
 tia pro necessitatibus subditorum, intus ad se redeant per  
 contemplationem mandatorum: sicut Paulus, qui caele-  
 stibus secretis inseritur, & tamen per condescensionis vi-  
 scera, carnalium cubile perscrutatur. Sic & Iacob ascen-  
 dentes & descendentes angelos vidit, quia videlicet re-  
 ctiores Ecclesiæ non solum Deum contemplando super-  
 na appetunt, sed deorsum quoque ad membra illius mi-  
 serando condescendunt. Et Domini sacerdotes horum  
 facta imitantur, & se custodiunt, & subditorum onera  
 portant, & videntur tales esse, quales idem egregius  
 prædicator præcepit: *vt qui utuntur hoc mundo, tamquam non*  
*utantur: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt,*  
*tamquam non possidentes.*

## NOTÆ.

\* *Epistola.*] Quæ hac epistola de Constantini donatione Melchia-

ANNO  
CHRISTI  
314

di & Siluestro collata scribuntur, vera esse, non hinc tantum, sed etiam auctoritate Optati Mileuitani probatissimi scriptoris firmiter confirmantur. Hic enim, lib. 1. contra Parm. scribit, Constantino & Licinio 3. cons. anno nimirum Christi 313. Romæ in causa Cæciliani & Donatistarum, Synodum nouemdecim Episcoporum in Laterano, in domo Faustæ, quæ Romani Pontificis sedes erat, celebratam fuisse. Eam domum Melchiadi ab Imperatore donatam esse, ille quidem non expresse scribit: sed cum nulla ratio appareat, ob quam necessum fuerit, ut Conuentus 19. dumtaxat Episcoporum extra domum Melchiadis ampliora ædium spatia requireret, illam in qua Synodus prædicta congregata fuit, domum Lateranensem siue Faustæ (sic dictam, quod quæ ante Palatii Laterani hominis prædiuitis fuerat, filici inscriptione sub Nerone publicatam, Fausta Maximiani filia Romæ agens eam inhabitavit) Melchiadi Romano Pontifici ab Imperatore donatam esse, nemo prudens amplius dubitare potest: maxime cum prædictarum ædium huc vsque per 13. sæcula continuata possessio nihil aliud indicet, aut præsumat concedat. Cum igitur hinc euidenter probatum sit, augustissimas Lateranenses ædes Melchiadi eiusque successoribus Romanis Pontificibus ad inhabitandum ab Imperatore concessas esse, certissimo indicio colligere licet, eundem Christianæ religionis antistitem munificentia Imperatoris, instar gentilitiæ superstitionis Pontificis maximi publicas domos inhabitantis, in imperatorias ædes translatum, pari honore & gloria, quam haberent diuerforum collegiorum antistites, a se donatum ac condecoratum voluisse. Quando autem id contigerit, infra in notis ad edictum Constantini dicemus.

*Melchiadi falso adscripta.*] Hanc epistolam Melchiadi adscriptam fuisse pater Canon. futuram 12. quæst. 1. Item con. decreuit, distinct. 88. qui Melchiadis nomen præ se ferentes, ea quæ hic scribuntur, magna ex parte habent: & ex eo quod communiter hæcenus post decreta Melchiadis Papæ in Conciliorum editionibus anterioribus subiuncta fuerit. Falso autem titulo ac nomine Melchiadis prænotam fuisse, inde constat, quia mentionem faciant Nicæni Concilii, quod omnium consensu post obitum Melchiadis Papæ, postque baptizatum Imperatorem, non sub Melchiade, sed sub Siluestro Pontifice, anno Christi 325. qui est Constantini vigesimus, celebratum esse, omnes fere, ut infra patebit, historici consentiunt. Verius igitur fortasse fuerit, ipsum Isidorum compilatorem potius, quam collectorem, auctorem esse huius epistolæ, quam ex 3. Canone Concilii Calchedonenis, & fragmento quodam epistolæ 24. lib. 1. Gregorii Papæ, & Nicæni Concilii historia compilatam esse constat. Baron. anno 312. num. 80.

Palatium  
Lateranen-  
se Melchia-  
di vere do-  
natum fuit.

Cur Late-  
ranense ap-  
pellatum  
fuerit.

Hanc epi-  
stolam Mel-  
chiadi falso  
adscriptam  
esse proba-  
tur.

Nicænum  
Concilium  
quo tempo-  
re celebra-  
tum fuerit.  
Isidorus au-  
ctor huius  
compilatio-  
nis.

EDICTVM DOMINI CONSTANTINI  
IMPERATORIS.ANNO  
CHRISTI  
314

*In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris scilicet, & Filii, & Spiritus sancti: Imperator Cæsar Flavius Constantinus, in Christo Iesu, uno ex eadem Trinitate sancta, saluatore Domino Deo nostro, fidelis, mansuetus, beneficus, Alemanicus, Gothicus, Sarmaticus, Germanicus, Britannicus, Hunicus, pius, felix, victor ac triumphator, semper Augustus, sanctissimo ac beatissimo patri patrum Siluestro urbis \* Romanæ Episcopo & Pa-<sup>\* Roma</sup>pæ, atque omnibus eius successoribus, qui in sede beati Petri usque in finem sæculi sessuri sunt, Pontificibus, necnon & omnibus reuerendissimis & Deo amabilibus Catholicis Episcopis, eidem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ per hanc nostram imperialem constitutionem subiectis in vniuerso orbe terrarum, nunc & in posterum cunctis retro temporibus constitutis, gratia, pax, charitas, gaudium, longanimitas, misericordia a Deo patre omnipotente, & Iesu Christo filio eius, & Spiritu sancto, cum omnibus vobis.*

Galat. 5.  
1. Tim. 1.

**E**A quæ saluator & redemptor noster Dominus Iesus Christus, altissimi patris filius, per suos sanctos Apostolos Petrum & Paulum, interueniente patre nostro Siluestro summo Pontifice & vniuersali Papa, mirabiliter dignatus est operari, liquida enarratione per huius nostræ imperialis institutionis paginam, ad cognitionem omnium populorum in vniuerso orbe terrarum studuit \* propalare nostra mansuetissima serenitas. Primum quidem nostram fidem, quam a prælibato beatissimo patre & oratore nostro Siluestro vniuersali Pontifice docti sumus, intima cordis confessione ad instruendas omnium vestrum mentes proferentes, & ita demum Dei misericordiam super nos diffusam annuntiantes, nosse vos volumus, sicut per anteriorem nostram sacram pragmaticam iussionem significauimus, nos a culturis idolorum, simulacris mutis & surdis, manufactis, diabolicis compositionibus, atque ab omnibus satanæ pompis recessisse, & ad integram Christianorum fidem, quæ est vera lux & vita perpetua, peruenisse; credentes, iuxta id quod nos idem almificus & summus pater & doctor noster Siluester Pontifex instruit, in Deum patrem omnipotentem, factorem cæli &

\*propalare

ANNO  
CHRISTI  
124.  
\*VICIUM,

terræ, visibilium omnium & inuisibilium: Et in Iesum Christum, filium eius \* vnigenitum, Dominum nostrum, per quem creata sunt omnia: Et in Spiritum sanctum, Dominum & viuificantem vniuersæ creaturæ. Hos, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, confitemur ita, vt in Trinitate perfecta & plenitudo sit diuinitatis, & vnitas potestatis. Pater Deus, Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus, & tres vnus sunt in Iesu Christo. Tres itaque formæ, sed vna potestas. Nam sapiens retro semper Deus edidit ex se, per quod semper erant gignenda sæcula, verbum. Et quando eodem solo suæ sapientiæ verbo vniuersam ex nihilo formauit creaturam, cum eo erat, cuncta suo arcano componens mysterio. Igitur perfectis cælorum virtutibus, & vniuersis terræ materiis, pio sapientiæ suæ nutu, ad imaginem & similitudinem suam, primum de limo terræ fingens hominem, hunc in paradiso posuit voluptatis. \* Quem antiquus serpens & hostis inuidens diabolus, per amarissimum ligni vetiti gustum, exulem ab eisdem fecit gaudiis: eoque expulso, non desuit sua venenosa multis modis protelare iacula, vt a via veritatis humanum abstrahens genus, idolorum culturæ, videlicet creaturæ, & non creatori deseruire suadeat: quatenus per hoc eos, quos suis valuerit irretire insidiis, secum æterno efficiat concremandos supplicio. Sed Deus noster misertus plasmatis sui, dirigens sanctos suos prophetas, per hos lumen futuræ vitæ, aduentum videlicet filii sui, Domini Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, annuntians, misit eundem vnigenitum filium suum & sapientiæ verbum. Qui descendens de cælis propter nostram salutem, natus de Spiritu sancto ex Maria virgine, verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Non amisit quod fuerat, sed cœpit esse quod non erat. Deum perfectum, & hominem perfectum; vt Deus mirabilia perficiens, & vt homo humanas passiones sustinens: ita verbum hominem, & verbum Deum, prædicante patre nostro Siluestro summo Pontifice, intelligimus, vt verum Deum, verum hominem fuisse, nullo modo ambigamus. Electifque duodecim Apostolis, miraculis coram eis & innumerablem populi multitudine coruscavit. Confitemur eundem Dominum Iesum Christum adimplessè legem &

Genes. 1.

Genes. 3.

\*Cui

1. Cor. 12.

prophetas, passum, crucifixum secundū scripturas, tertia die a mortuis resurrexisse, assumptum in caelos, atque sedentem ad dexteram patris, inde venturum iudicare viuos & mortuos, cuius imperii non erit finis. Hæc est enim fides nostra Catholica orthodoxa, a beatissimo patre nostro Siluestro summo Pontifice nobis prolata. Exhortamur idcirco omnem populum, & diuersas gentium nationes, hanc fidem tenere, colere & prædicare, & in sanctæ Trinitatis nomine baptismi gratiam consequi, & Dominum nostrum Iesum Christum saluatorem nostrum, qui cum Patre & Spiritu sancto per infinita sæcula viuuit & regnat, quem Siluester beatissimus pater noster vniuersalis prædicat Pontifex, corde deuoto adorare. Ipse enim <sup>b</sup> Dominus noster, misertus mihi peccatori, misit sanctos suos Apostolos ad visitandum nos, & lumen sui splendoris infulsit nobis, vt abstractum a tenebris, ad veram lucem & agnitionem veritatis me venisse gratularem. Nam dum valida squaloris lepra totam mei corporis inuasisset carnem, & multorum medicorum conuenientium cura adhiberetur, nec vllius quidem cura promeruissemus salutem, ad hoc venerunt sacerdotes Capitolii, dicentes, mihi debere fieri fontem in Capitolio, & compleri hunc innocentium sanguine, & eo calente <sup>\*lorum</sup> loto me, posse mundari. Et secundum eorum dicta, aggregatis plurimis innocentibus infantibus, dum vellent sacrilegi paganorum sacerdotes eos mactare, & ex eorum sanguine fontem <sup>\*repleri</sup> repleri, cernens serenitas nostra lacrymas matrum eorum, illico exhorruī facinus: miseratusque eas, proprios illis restitui præcepimus filios suos, datisque vehiculis & donis concessis, gaudentes ad propria relaxauimus. Eadem igitur transacta die, nocturno nobis facto silentio, dum somni tempus aduenisset, adsunt Apostoli S. Petrus & Paulus, dicentes mihi: Quoniam flagitiis posuisti terminum, & effusionem sanguinis innocentis horruisti, missi sumus a Christo Domino Deo nostro, dare tibi sanitatis recuperandæ consilium. Audi ergo monita nostra, & fac quodcumque indicamus tibi: Siluester Episcopus huius ciuitatis ad montem Soracte persecutiones tuas fugiens, in cauernis petrarum cum suis clericis latebram fouet. Hunc ad te cum adduxeris, ipse tibi pisci-



ANNO CHRISTI 314.  
 nam pietatis ostendet, in qua dum tertio te merferit, omnis te valetudo ista deferet lepræ. Quod dum factum fuerit, hanc vicissitudinem tuo saluatori compensa, vt omnes iussu tuo per totum orbem restaurentur Ecclesia. Te autem ipsum in hac parte purifica, vt relicta omni superstitione idolorum, Deum viuum & verum, qui solus est & verus, adores & excolas, vt ad eius voluntatem attingas. Exurgens igitur a somno, protinus iuxta id quod a sanctis Apostolis admonitus sum, peregi: aduocatoque eodem præcipuo & magnifico patre & illuminatore nostro Siluestro vniuersali Papa, omnia a sanctis Apostolis mihi præcepta dixi verba: percontatique sumus ab eo, qui isti essent Petrus & Paulus. Ille vero, non eos deos vere dici, sed Apostolos saluatoris nostri Domini Dei Iesu Christi, respondit. Et rursus interrogare cœpimus eundem beatissimum Papam, vtrum istorum Apostolorum imagines expressas haberet, vt ex pictura disceremus hos esse, quos reuelatio docuerat. Tunc idem venerabilis pater imagines eorumdem Apostolorum per diaconum suum exhiberi præcepit: quas dum aspicerem, & eorum quos in somno videram, figuratos in ipsis imaginibus cognouissem vultus, ingenti clamore coram omnibus sâtrapis meis confessus sum eos esse, quos in somno videram. Ad hæc beatissimus idem Siluester pater noster, vrbs Romæ Episcopus, indixit nobis pœnitentiæ tempus intra palatium nostrum Lateranense, in vno cilicio, vt de omnibus quæ a nobis impie peracta, atque iniuste disposita fuerant, vigiliis, ieiuniis, atque lacrymis & orationibus, apud Dominum Deum nostrum Iesum Christum saluatorem veniam impetraremus. Deinde per manus impositionem clericorum, vsque ad ipsum præfulem veni. Ibi renuntians satanæ pompis & operibus eius, vel vniuersis idolis manufactis, credere me in Deum patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium, & in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, spontanea voluntate coram omni populo professus sum. Benedictoque fonte, illic me trina mersione vnda salutis purificauit. Positoque me in fontis gremio, manum de

caelo me contingentem propriis oculis vidi. De qua mundus exurgens, ab omni me lepræ squalore mundarum agnoscite: leuatoque me de venerabili fonte, induto vestibus candidis, septiformis gratiæ sancti Spiritus consignationem adhibuit beati chrisimatis vnctione, & vexillum sanctæ crucis in mea fronte liniuit, dicens: Signet te Deus sigillo fidei suæ, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, in consignatione fidei. Cunctusque clerus respondit, Amen. Et adiecit præful, Pax tibi. Prima itaque die post perceptum sacri baptismatis mysterium, & post curationem corporis mei a lepræ squalore, agnoui non esse alium Deum, nisi Patrem & Filium & Spiritum sanctum, quem beatus Siluester Papa prædicat, Trinitatem in vnitatem, & vnitatem in Trinitate. Nam omnes dii gentium, quos vsque hæctenus colui, dæmonia, opera hominum manufacta comprobantur. Etenim quantam potestatem idem Saluator noster suo Apostolo B. Petro contulerit in caelo ac terra, lucidissime nobis idem venerabilis pater edixit, dum fidelem eum in sua interrogatione inueniens, ait: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Aduertite potentes, & aure cordis intendite, quid bonus magister & Dominus suo discipulo adiunxit, inquit: *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis.* Mirum est hoc valde & gloriosum, in terra ligare & soluere, & in caelo ligatum & solutum esse. Et dum hæc, prædicante beato Siluestro, agnoscerem, & beneficii ipsius beati Petri integerrime sanitati me comperi restitutum; vtile iudicauimus, vna cum omnibus nostris senatoribus, & vniuerso senatu, optimatibusque meis, etiam & cuncto populo Romanæ gloriæ imperio subiacenti, vt sicut in terris sanctus Petrus vicarius filii Dei esse videtur constitutus, etiam & Pontifices, qui successores sunt ipsius principis Apostolorum, principatus potestatem, amplius quam terrena imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur, concessam a nobis nostroque imperio obtineant, eligentes nobis ipsum principem Apostolorum, & eius successores, firmos apud Deum esse patronos. Et sicut nostram terrenam imperialem potentiam, sic eius sacrosanctam Romanam Ecclesiam decreuimus

*Psal. 113.**Matth. 16.**Ibidem.*Dist. 96.  
Constanti-  
nus impera-  
tor quarta  
die.

ANNO  
CHRISTI  
324.

uimus veneranter honorari, & amplius quam nostrum imperium & terrenum thronum, sedem sacratissimam beati Petri gloriose exaltari, tribuentes ei potestatem & gloria dignitatem atque vigorem & honorificentiam imperialem: atque decernentes<sup>s</sup> sancimus, vt principatum teneat tam super quatuor præcipuas sedes, Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam, quamque etiam super omnes in vniuerso orbe terrarum Dei Ecclesias. Et Pontifex, qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ extiterit, celsior & princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat, & eius iudicio, quæque ad cultum Dei, vel fidei Christianorum stabilitatem procuranda fuerint, disponantur. Iustum quippe est, vt ibi lex sancta caput teneat principatus, vbi sanctarum legum institutor, Saluator noster, beatum Petrum apostolatus obtinere præcepit cathedram; vbi & crucis patibulum sustinens, beatæ mortis sumpsit poculum, sui que magistri & Domini imitator apparuit. Et ibi gentes pro Christi nominis confessione colla flectant, vbi eorum doctor beatus Paulus Apostolus pro Christo, extenso collo, martyrio coronatus est. Illic vsque in finem querant doctorem, vbi sanctum doctoris quiescit corpus: & ibi proni ac humiliati, cælestis regis Dei saluatoris nostri Iesu Christi famulentur officio, vbi superbi terreni regis seruiebant imperio. Interea nosse volumus omnem populum vniuersarum gentium ac nationum per totum orbem terrarum, construxisse<sup>h</sup> nos intra palatium nostrum Lateranense eidem saluatori nostro Domino Deo Iesu Christo ecclesiam a fundamentis cum baptisterio, & duodecim nos sciatis de eius fundamentis, secundum numerum duodecim Apostolorum, cophinos terræ onustatos propriis asportasse humeris: quam sacrosanctam Ecclesiam, caput & verticem omnium Ecclesiarum in vniuerso orbe terrarum dici, coli, venerari ac prædicari sancimus, sicut per alia nostra imperialia decreta constituimus. Construximus quoque ecclesias beatorum Petri & Pauli<sup>\* primorum</sup> Apostolorum, quas auro & argento locupletauimus, vbi & sacratissima eorum corpora cum magno honore recondentes, thecas ipsorum ex electro (cui nulla fortitudo præualet elementorum) construxi-

Concil. Tom. 2.

S

Dist. 96.  
Constanti-  
nus imp.  
4. die.

mus, & crucem ex auro purissimo, & gemmis preciosissimis, per singulas eorum thecas posuimus, & clavis aureis confiximus. Quibus ecclesiis pro concinnatione luminariorum, possessionum prædia contulimus, & rebus diuersis eas ditauimus, & per nostram imperialem iurisdictionem sacram, tam in oriente, quam in occidente, vel etiam septentrionali & meridiana plaga, videlicet in Iudæa, Græcia, Asia, Thracia, Africa & Italia, vel diuersis insulis, nostra largitate eis libertatem concessimus, ea prorsus ratione, vt per manus beatissimi patris nostri Siluestri Pontificis successorumque eius omnia disponantur. Gaudet ergo vna nobiscum omnis populus, & gentium nationes in vniuerso orbe terrarum; & exhortantes, moneamus omnes, vt Deo nostro & saluatore Iesu Christo immensas vna nobiscum referant gratias, quoniam ipse Deus in cælis desuper, & in terra deorsum, nos per suos sanctos Apostolos visitans, sanctum baptismatis sacramentum percipere & corporis sanitatem, dignos effecit. pro quo concedimus ipsis sanctis Apostolis, dominis meis beatissimis Petro & Paulo, & per eos etiam beato Siluestro patri nostro, summo Pontifici, & vniuersalis vrbs Romæ Papæ, & omnibus eius successoribus Pontificibus, qui vsque in finem mundi in sede beati Petri erunt sessuri, atque de præsentis contradimus palatium imperii nostri Lateranense, quod omnibus in toto orbe terrarum præfertur atque præcellit palatiis: deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque phrygium, id est, mitram, necnon & superhumeralis, videlicet lorium, quod imperiale circūdare assolet collum: verum etiam & chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam, & omnia imperialia indumenta, sed & dignitatem imperialium præsidentium equitum; conferentes etiam & imperialia scepra, simulque & cuncta signa, atque banta, vel banda etiam, & diuersa ornamenta imperialia, & omnem processionem imperialis culminis, & gloriam potestatis nostræ. Viris autem reuerendissimis clericis in diuersis ordinibus eidem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ seruentibus, illud culmen singularitate, potentia & præcellentia habere sancimus, cuius amplissimus noster senatus videretur gloria adorari, id est, patricos atque consules effici, nec-

Dist. 96.  
Constanti-  
nus imp.  
4. die.

Nota phry-  
gium factū  
ex pennis  
pauonum.

ANNO  
CHRISTI  
324.

non & ceteris dignitatibus imperialibus eos promulgamus decorari. Et sicut imperialis militia ornatur, ita & clericum sanctæ Romanæ Ecclesiæ ornari decernimus. Et quemadmodum imperialis potentia officiis diuersis, cubiculariorum nempe & ostiariorum, atque omnium excubitorum, ornatur; ita & sanctam Romanam Ecclesiam decorari volumus. Et ut amplissime pōtificale decus præfulgeat, decernimus & hoc, clericorum eiusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ manipulis & lintheaminibus, id est, candidissimo colore decorari equos, & ita equitare. Et sicut noster senatus calceamentis utitur cum vdonibus, id est, candido lintheamine illustratis, sic utantur & clerici; & sic cælestia sicut terrena ad laudem Dei decorentur. Præ omnibus autem licentiam tribuimus ipsi sanctissimo patri nostro Siluestro vrbis Romæ Episcopo & Papæ, & omnibus qui post eum in successum, & perpetuis temporibus aduenerint, beatissimis Pontificibus, pro honore & gloria Christi Dei nostri, in eadem Dei magna Catholica & Apostolica Ecclesia, ex nostro indicto, ut quem placatus proprio consilio \* clericali voluerit, & in numero religiosorum clericorum connumerare, nullum ex omnibus præsumptum superbe agere. Decreuimus itaque & hoc, ut idem venerabilis pater noster Silvester summus Pontifex, & omnes eius successores Pontifices, diademate (videlicet corona, quam ex capite nostro illi concessimus) ex auro purissimo & gemmis preciosis uti debeant, & in capite ad laudem Dei & pro honore beati Petri gestare. Ipse vero beatissimus Papa, quia super coronam clericatus, quam gerit ad gloriam beati Petri, omnino ipsa ex auro non est passus uti corona: nos phrygium quoque candidi nitoris, splendidam resurrectionem Dominicam designans, eius sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus, & tenentes frenum equi illius, pro reuerentia beati Petri, stratoris officium illi exhibuimus; statuētes, eodem phrygio omnes eius successores singulariter uti in processionibus, ad imitationem imperii nostri. Vnde ut pontificalis apex non vilescat, sed amplius etiam quam terreni imperii dignitas, & gloriæ potentia decoretur; ecce tam palatium nostrum, ut prædictum est, quamq; urbem Romam & omnes totius Italiæ & occidentalium regionum pro-

uincias, loca & ciuitates, prefato beatissimo Pontifici nostro Siluestro vniuersali Papæ \* concedimus atque relinquimus, & successorum ipsius Pontificum potestati & ditioni, firma imperiali censura, per hanc diualem nostram & pragmaticum constitutum, decernimus disponendum, atque iuri sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedimus permanens. Vnde congruum prospeximus, nostrum imperium & regni potestatem in orientalibus transferri ac transmutari regionibus, & in Byzantiæ<sup>k</sup> prouinciæ optimo loco, nomini nostro ciuitatem ædificari, & nostrum illic constitui imperium: quoniam vbi principatus sacerdotum & Christianæ religionis caput ab Imperatore cælesti constitutum est, iustum non est vt illic Imperator terrenus habeat potestatem. Hæc vero omnia, & per alia diualia decreta statuimus atque confirmauimus, vsque in finem mundi illibata & inconcussa \* permanere decernimus. Vnde coram Deo viuo, qui nos regnare præcepit, & coram terribili eius iudicio obtestamur, per hoc nostrum imperiale constitutum, omnes nostros successores Imperatores, vel cunctos optimates, satrapas, etiam amplissimum senatum, & vniuersum populum, in toto orbe terrarum, nunc & in posterum cunctis retro temporibus imperio nostro subiacentem, nulli eorum quoquo modo licere, hæc quæ a nobis imperiali sanctione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, vel eius omnibus Pontificibus concessa sunt, refragari aut infringere, vel in quoquam \* conuellere. Si quis autem (quod non credimus) in hoc temerator, aut contemptor extiterit, æternis condemnationibus subiaceat innodatus, & sanctos Dei principes Apostolorum Petrum & Paulum sibi in præfenti & futura vita sentiat contrarios, atque in inferno inferiori concrematus, cum diabolo & omnibus deficiat impiis. Huius vero imperialis decreti nostri paginam propriis manibus roborantes, super venerandum corpus beati Petri principis Apostolorum posuimus, ibi eidem Dei Apostolo spondentes, nos cuncta inuiolabiliter conseruare, & nostris successoribus Imperatoribus conseruanda in mandatis relinquere, ac beato patri nostro Siluestro summo Pontifici & vniuersali Papæ, eiusque cunctis successoribus Pontificibus, Domino Deo & saluatore nostro Iesu Christo an-

ANNO  
CHRISTI  
314.  
\* contra-  
dentes,  
atque re-  
linquen-  
tes.

\* permi-  
sura.

\* cõgeli

ANNO  
CHRISTI  
324.

nuate, tradimus perenniter atque feliciter possidenda. Et subscriptio imperialis: Diuinitas vos conferuet per multos annos sanctissimi ac beatissimi patres. Datum Romæ, sub tertio die Kalendarum Aprilium, domino nostro Flauio Constantino Augusto quater & Gallicano viris clarissimis consulibus.

NOTÆ.

\* *Edictum.*] Ea quæ de dominio & temporali regno Romanæ se-  
di collato hic enarrantur, verisimilia esse, præter ista quæ supra in  
notis præcedentis epistolæ diximus, ipsius Imperatoris nunquam sa-  
tis laudata munificentiâ, in religionem Christianam pietas, super-  
stitutionis gentilitiæ iusta æmulatio, satis aperte testantur. Quod Fran-  
corum Christianissimi principes suis ipsorum diplomatibus, ea a  
Longobardis ablata, se Romanæ Ecclesiæ restituere professi sunt, ma-  
gnum sane de collatis a Constantino Romanæ Ecclesiæ muneribus  
argumentum est. Nam si iam ante collata illa a Francorum regibus  
priuilegia, dominio rerum Romana Ecclesia potiebatur, non aliunde  
sane, quam iure sibi illud vendicasse potuit: certissimum enim  
est, nulla vi armorum, aut violenta grassatione id factum esse, cui  
Imperatores orientales, (qui Romanæ Ecclesiæ, quam sub tributo  
redigere tentarunt, non parum infensi erant,) non quidem non  
reclamarunt aut contradixerunt, sed potius amplissimis priuilegiis  
ratum habuerunt. Hoc edictum a Græcis perfida donatione, qua  
iuxta illud Virg. 2. *Æneid. Timeo Danaos & dona ferentes*, donare  
solent acceptum, mutilatum esse, ac dolose deprauatum, hæ rationes  
euidenter demonstrant. Principio enim primatum Ecclesiæ Roma-  
næ Constantino imperatori homini laico acceptum refert, quem  
ab ipso Deo & Domino nostro Iesu Christo eidem in Petro colla-  
tum esse, ex iis quæ supra in notis ad vitam Petri, & alibi sæpe di-  
ximus, apertissime constat. Petro enim & Petri successoribus di-  
ctum est illud Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo  
Ecclesiam meam, & porta inferi non præualebunt aduersus eam. Quod-  
cumque solueris super terram, erit solutum & in cælis, &c. Hic est,* ait  
Epiph. in Ancorato, *qui audiuit, Pascite oues meas, cui concreditum est  
ouile.* Oues ergo suas non vnus ciuitatis aut regni, sed totius or-  
bis terrarum; non vnus sæculi, sed eas etiam, quæ vsque ad mun-  
di consummationem futuræ erunt, Petro ac Petri successoribus  
Christus Dominus pascendas & gubernandas ipse tradidit. Itaque  
non sine dolo & fraude homini attribuitur, quod Deo auctori est  
attribuendum. Secundo, hoc eodem edicto idem Imperator Con-  
stantinopolitanæ Ecclesiæ patriarchalem dignitatem contulisse nar-  
ratur. Quod si verum est, quomodo Anatolius Constantinopoli-  
tanus Episcopus, post Calchedonense Concilium absolutum, hanc  
dignitatem patriarchalem, Leone, Gelasio, aliisque Romanis Pon-  
tificibus reclamantibus, sibi vendicasse scribitur? Quomodo Con-  
S iij

Donatio  
Constanti-  
ni defendi-  
tur.

Edictum  
donationis  
a Græcis  
corruptum  
esse, pro-  
batur du-  
plici ratio-  
ne.

Prima ra-  
tio.

Secunda ra-  
tio.

stantinopolitana Ecclesia patriarchalis esse potuit hoc tempore, quo nomen Constantinopolis Byzantio nondum impositum fuit: Quare eadem fide Constantinopolitanam, patriarchatus; Romanam, primatus honore ac dignitate ab Imperatore donatam esse, credere licet. Vide quæ diximus supra in notis ad epist. 3. Analecti.

Hoc edictum de Constantini donatione, ex Actis Siluestri Papæ, sub Eusebii Cæsariensis nomine falso Græce scriptis, primum edidit Theodorus Balsamon, non vt rem gratam faceret Romanæ Ecclesiæ; sed vt Constantinopolitanum patriarchatum ostenderet antiquissimum. Constat enim duplicia reperiri Acta Siluestri; Latina primum, quæ & ad Græcos sunt deriuata, vt quæ habentur in plerisque antiquis codicibus, & ex Latinis accepta, quæque a Metaphraste, Zonara, Cedreno, ab Hadriano I. in epist. 1. ad Constantinum & Irenem imperatores, & epist. 3. ad Carolum regem Francorum summam recitantur. Alia quæ post hæc non ante millesimum Christi annum cognita ab aliquo Græcorum commenta fuerunt, & sub Eusebii nomine ex libro de martyribus prodierunt, & hoc Constantini edicto a Græcis Græce scripto, a Theodoro Balsamone in commentariis super nomocanone Photii recitato, aucta fuisse noscuntur, in Romanæ Ecclesiæ odium & sui vtilitatem. In odium, inquam, Romanæ Ecclesiæ, vt quæ ipsa possidet, non a Christo (quod sanctissimos Romanos Pontifices Gelasium, Nicolaum, aliosque aduersus Græcos agentes sæpius protestatos esse infra videbitur) sed a Constantino imperatore ea accepisse diceretur: in sui vero vtilitatem, eo quod in hoc edicto affirmatur, iam antiquitus sub Constantino Ecclesiam Constantinopolitanam patriarchalem esse; quod a S. Leone, Gelasio, aliisque Pontificibus impugnatum fuisse, sub sequentibus Pontificibus cognoscemus.

Nouatores hæretici magno conatu, studioque inani hoc Constantini edictum e Græco in Latinum translatum impugnant, sciant se in his potius nostram causam agere, quam contra nos pugnare, qui profitemur cum Irenæo, Cypriano, aliisque sanctis Patribus tam Græcis quam Latinis, Romanæ Ecclesiæ priuilegia non ab hominibus, sed a Christo in Petrum, a Petro in successores esse collata & transfusa.

Dominia rerum temporalium Ecclesiæ collatarum, ipsorum Impp. donantium diplomatibus in originali extantibus, ipsa probat & quiete possidet. Iura autem eidem Romanæ Ecclesiæ concessa S. Leo, Felix, Romanus, Gelasius, Hormisda, Gregorius, aliique successores Pontifices, qui a Constantini temporibus claruerunt, non huius edicti Constantiniani, sed potius diuina & euangelica auctoritate contra earundem impugnatoresemper defenderunt. Nemo omnium eorum qui ante annum millesimum Ecclesiæ præfederunt, quorum plures germana Acta Siluestri, de quibus supra, viderunt & recitarunt, huius edicti vllam mentionem fecisse legitur: vtpote quod ipsis Actis commentitium edictum a Græcis impostoribus necdum superadditum fuerit. Inter eos qui Acta Siluestri huius com-



mentitii edicti additamento mala arte, mala fide Græcorum corrupta, ex oriente in occidentem translata bona fide acceperunt, eaque tamquam germana ac legitima & ab omni impostura & fraude pura defenderunt, primus reperitur fuisse Leo Papa IX. qui in epistola ad Michaelē Constantinopolitanum, & Leonem Acridanum, Episcopos, anno Redemptoris 1054. huius edicti Constantiniani de donatione Siluestro facta meminit. Ex quo cum eidem multum fidei & auctoritatis accesserit, factum esse credo, quod posteriorum etiam grauissimorum & doctissimorum plurimi absque aliqua suspitione fraudis & imposturæ, idem bona fide legerint & receperint. Tempore Benedicti Papæ XII. anno nimirū Christi 1339. sub nomine Othon. III. imp. diploma quoddam apud Baron. tom. 12. integre excusum in lucem emerit, quo hoc idem de donatione facta edictum Constantinianum ab auctore Ioanne diacono effectum & excogitatum esse scribitur: sed cum illud diploma multis iisdemque firmissimis argumentis a Baron. ibidem impugnetur, iisque eiusdem auctoritas eneruetur; ad profligandum latius sæpe nominatum Constantini edictum, relicto illo Othonis supposititio diplomate, addo quod Gregor. VII. Alexander III. aliique posteri Pontifices iurium Ecclesiæ acerrimi defensores, huius edicti velut rei vere gestæ non meminerunt, quodque Pipinus & Carolus Othone anteriores, Henricus, aliique Imp. in suis diplomatibus, quibus S. Petro vrbes & regiones donarunt, munificentissimi donatores, hoc Constantinianum edictum ne verbo quidem attigerint; eaque de causa Pontifices donatarii nullam querelam interposuerint, suspectissimam reddunt fidem huius edicti, quod iuribus ac priuilegiis Ecclesiæ supra firmam petram fundatæ certioribus nequaquam derogat, aut derogare potest.

<sup>b</sup> *Ipse enim.*] Hadrianus Pontifex epist. ad Constant. & Iren. quæ secundo Concilio inserta extat, hanc totam historiam eodem fere modo recenset, adeoque veritate huius edicti confirmat. Vide quæ diximus supra in notis ad vitam Siluestri.

Donario Constantini confirmatur.

<sup>c</sup> *Qui isti dii essent Petrus & Paulus.*] Sicut Manue pater Samsonis Iud. 13. cum angelum Domini vidisset, vxori suæ dixit: *Morimur, quia vidimus Dominum:* Et mulier de anima Samuelis 1. Regum 28. *Deos vidi ascendentes de terra;* ita Imperator Apostolorum principes, quos homines esse nouerat, deos appellat: vel quia de ipsis sic apparentibus aliquid super humanum mente concepit: vel demum tales esse deos censuit, de quibus scriptura psal. 81. ait: *Ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes.* Quo sensu idem imperator Constantinus ipsos Episcopos, qui Nicææ ad Concilium conuenerant, deos nominauit. Vide Baron. ann. 324. num. 39.

Petrus & Paulus quæ ratione dii appellentur.

<sup>d</sup> *Tunc idem venerabilis pater imagines Apostolorum.*] Venerandas imagines Petri & Pauli, atque in primis saluatoris nostri Iesu Christi, ad sua quoque tempora in Ecclesia conseruatas esse, seque eas aspexisse, testatur Eusebius lib. 7. cap. 14. in fine his verbis: *Cum & nos Petri & Pauli Apostolorum, & Christi etiam ipsius imagines in picturis colorum varietate expressas conseruatasque aspexerimus, &c. Quæ*

Imagines Petri & Pauli in Ecclesia primitiua conseruata.

si in Palæstina tot præliis deuastata extabant, & viscebantur; quanto magis Romæ eadem integre atque sincere eorumdem vultus accuratius exprimentes asseruari potuerunt, vbi iidem Apostoli diutius vixerunt, & tandem martyrio affecti fuerunt?

Baptisteriū Constantini quomodo a Marcellino nominatum.

<sup>c</sup> *Benedictioque fonte.*] Baptisterii nimirum, qui adhuc extat, & a Marcellino eius ætatis scriptore ethnico lib. 27. hist. appellatur Constantinianum lauacrum: quibus verbis ipse Imperatoris baptismo, præter multorum aliorum scriptorum fidem, testimonium non contemnendum præbet.

<sup>f</sup> *Vtile iudicamus vna cum omnibus.*] Hæc græce & latine habentur in nomocanone Photii Episcopi Constantinopolitani. Vide quæ supra diximus, & notas, quæ iussu Gregorii decimitertii additæ sunt ad Can. Constantinus dist. 96. aliosque plures. Patrimonii S. Petri S. Gregorius I. in suis epistolis frequenter meminit.

<sup>g</sup> *Decerentes sancimus.*] Hæc quæ de primatu Romanæ, & patriarchali honore Constantinopolitanæ Ecclesiæ collato subiunguntur, falsa ac surrepticia esse, supra diximus in principio.

<sup>h</sup> *Construxisse nos intra palatium nostrum.*] De ecclesiis ab Imperatore constructis, vide libellum de munificencia Constantini, & notas in eum conscriptas supra.

<sup>i</sup> *Palatium imperii nostri Lateranense.*] Vide quæ diximus supra in notis ad epistolam de primitiua Ecclesia.

Constantinopolis quando ædificari cepit.

<sup>k</sup> *In Byzantia prouinciam.*] Constantinus paulo post baptismum nouam Romam omnis idololatriæ expertem ædificare proposuit: ideoque anno 324. Christi nati ab Ilia restauratione diuino numine prohibitus, Byzantium profectus, eam urbem mirifice exornauit, suoque nomine & imperiali sede condecorauit. Et sane non sine magna Dei prouidentia factum esse videtur, vt post translata imperii sedem Constantinopolim, nullus vnquam imperatorum orientalium vel etiam occidentalium sedem Romam transtulerit. Zonaras de Constante Heraclii nepote ait, eum de imperio in urbem Romam transferendo cogitasse quidem, sed nequaquam successisse: vt intelligamus non sine nutu diuinæ voluntatis Romam urbium principem summo Ecclesiæ principi destinata esse. Vide quæ dicemus infra ad Concil. Constant. 1.

<sup>l</sup> *Constantino Augusto quater, & Gallicano coff.*] Duplex error in horum consulum chronologia. Primo enim mendosum est, Constantinum quartum consulem, Gallicanum non Licinium habuisse colleague. Secundo erroneum est, res supra gestas hoc consulatu notari, qui in annum 315. Christi incidit: cum certum sit ex præcedentibus, Constantinum non ante 324. annum Christi nati baptismo initiatum esse.

CONCI-